Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Commentarius in universam Aristotelis - Cod. Ettenheim-Münster 157

Aristoteles

[S.l.], 1611

Capvt Nonvm

urn:nbn:de:bsz:31-117375

Visual Library

Quare non loquitur de ijs quâ transcendentalia relata sunt, sed quâ veros prædicamentales eosque respectus consignificatos habent, propter quos appellantur relata secundum dici, ut fere tandem ipse Suar. n. 18. cogitur respondere.

CAPUT NONUM.

De 6. ultimis prædicamentis, quæ ab antiquioribus vocantur sex principia.

Hoc capite reliquas. 6. categorias paucis perstringit, tum quod mediocris earum cognitio Logico sufficiat, tum quod alibi maxime in Physica tractentur, spatiis quo etiam nos earum tractationem reijcimus. At interim breviter dicimus, omnia categoremata quæ in abstracto vel in concreto aliquam veram actionem significant spectare ad prædicamentum actionis, cuiusmodi sunt pleraque verba quæ a Grammaticis activa dicuntur, ut calefacio, comburo eorumque verbalia ut calefactio combustio. Similiter quæ passionem significant ad prædicamentum Passionis pertinent. Deinde quæ continentiam alicuius in loco significant spectant ad prædicamentum Ubi, ut Germanus, mundanus, coelestis, civis, paganus, Ingolstadiensis, existens in templo &c. Quæ vero significant partes corporis certo modo ad partes loci dispositas, ut sedere ac sessio, stare et statio

pertinent ad prædicamentum Situs: ad prædicamentū quando pertinent ea nomina quæ significant aliquā rem certo vel in determinato tempore comprehendi ut hodiernus, crastinus, octennis, millenarius. Deniq ea nomina quæ vestem significant alicui corpori adjacere et circumpositam esse, ut vestitus, calceatus, armatus, redimitus tempora lauro etc. ad prædicamentū Habere spectant, imo ut supra ex Conimb. annotavimus omnia denominativa substantiarum, ut auratum, ignitum ad hoc prædicamentū pertinere videntur atque etiam earū abstracta, ut vestitio, palliatio, ignitio, inauratio etc. Quid porro res id genus nominibus significata sint, quantū ve a se invicem et superioribus prædicamentis differant difficilius est quam ut a Logico possit intelligi.

POSPRÆDICAMENTA.

postprædicamenta sunt quædam accidentia prædicamentorū.

Postprædicamēta sunt quædā accidentia prædicamentorū quæ post finitam prædicamentorū tractationē ab Aristotele in seq. capitib. explicantur, eo quod eorū cognitio necessaria sit ad prædicamenta rectè intelligenda. Ex quibus primū est Oppositio, 2dm Prius et Posterius. Tertium simul. Quartū Motus. Quintum Habere.

qua singula singulis cap. applicantur, et a quibusdam
circ. dialecticis hoc carmine recensentur:

Op; Pri; Mo; simul; Ha; tot sunt postprædicamenta.

CAPUT DECIMUM.

DE OPPOSITIS.

Oppositio duplex ē complexa Incomplexa.

Notandum primo duplicē ēē oppositionē apud dialec. Unā complexā qua integræ enunciões inter se repugnāt de qua agit Arist. in lib. Periher. et Fons. l. 3. Inst. c. 6. 11. 18. et seq. Alterā Incomplexā qua simplices termini inter sese opponunt, de qua hic agit.

Oppositio et oppositum sumuntur aliquando latissimè.

Notandū 2do, oppositionē et opposita aliquando latissimè sumi put idē sunt quod repugnantia apud. Fon. l. 1. c. 31. Dividunturq. in Disparata et opposita strictè sumpta: q̄ a disparatis oppositis in eo differunt, quod disparata sæpe possint ēē simul eodem tempore in eadem re, ut albedo et dulcedo in eadē parte lactis.
Itaq. oia quæ nō sunt opposita proprie dicta et tamē essentialiter differunt videntur ēē disparata ut aqua et ignis, calor et humiditas, linea etc.